

mandi dictam Domum, & Collegium Patrem Fratrem Antonium a Sancto Martino nostrae Provinciae Turoniae Professum, Sacerdotem, qui consideratis omnibus considerandis, & praevia gravium Patrum Ordinis consultatione, tandem in hanc devenerit sententiam, quod nulla ratione Collegium praefatum reformari poterat, nisi in illud Reformatio Rhedonensis ejusdem Provinciae Turoniae introduceretur; & inde omnes Religiosi, qui talem observantiam amplecti recusarent amoverentur, & in alios Provinciarum Galliae Conventus mitterentur, & statim praefatae observantiae introductioni fortiter, & feliciter divina cooperante gratia manum admoveere coepit. Cupientes modo Nos dictam inchoatam reformationem ad perfectum statum reducere, & constantius stabilire, duximus nonnulla statuere sub correctione S. Sedis Apostolicae, & reservata ejus confirmatione.

Cum igitur evidentissime constet, pietatis, disciplinae regularis, & Literarum studia in nostro Parisiensi Conventu, & Collegio Naubertino jam pridem labefacta esse, & post tentatam non semel a Nobis illius reformationem omnia in pejus abiisse: Cumque quisque probus ex Regularibus ejusdem Conventus, & Collegii, tum Conventualibus, tum Studentibus ejus reformationem petierit, & efflagitaverit, & ex eorum postulatione, certoque examine agnoverimus, radicem omnium malorum extitisse partim ipsos Conventuales in dicto Conventu, & Collegio commorantes, qui cum immediate subessent Generali nunquam ferie visitabantur, tum magnum numerum studentium in factiones, & discordias propter Provinciarum partes, saepius abeuntium, & patuit insuper Nobis, quod ex septem Provinciis, quas noster Ordo habet in Gallia, tres tantum, aut quatuor ad summum in dictum Collegium, ob regularem observantiam in eo deperditam, & meram studiorum ruinam studentes mittebant, quae mala si repararentur, pietatis, & doctrinae fructus per totam fere Galliam cum maxima Ecclesiae utilitate, & nostri Ordinis gloria diffunderentur: Nos, ut submoveamus, quae pravus usus regiminis dicti Conventus, & Collegii Naubertini innoxit;

I. Statuimus, & declaramus, Conventum nostrum Parisiensem Naubertinum solum fore, & esse Collegium studiorum, itaut in eo amplius non existant, nominenturque Conventuales, servata tamen ejus immediata subjectione Priori Generali Ordinis; ac ne ob talem immediationem, defectu visitationis in eo iterum disciplinae regularis aliquam patiatur jacturam, cum Pater Generalis semper longe absit, & in praesentiarum Provincia Turoniae ex ceteris Galliae Provinciis sit illa, in qua nunc magis viget perfecta, & solida observantia, volumus, ut ab ejus Provinciali tamquam Commissario Prioris generalis pro tempore (nisi ab eo alius Commissarius fuerit de-

putatus) cum suo socio ordinario singulis annis visitetur, cui tamen per ipsum Generalem quoties ei videbitur expedire, alius socius ex alia Provincia reformata in Gallia adjungi poterit. Et si quando Priori Generali placuerit, aliquem Commissarium ex aliis Provinciis Galliae reformatis nominare, & assignare Visitatorem, semper erit Concommissarius, nisi aliter disposuerit ipse Generalis Pater Provincialis Turoniae, saltem quousque alia in Gallia Provinciae sint reformatae iuxta novas Constitutiones pro Provinciis reformatis, & reformandis compilatas, & a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papa Octavo confirmatas, & eas esse reformatas declaraverit Pater Ordinis; Tunc enim ex illis omnibus eligi poterit ad libitum a Generali Commissarius, qui solus valeat dictum Collegium visitare: quod si ab eo nullus alius fuerit institutus, semper Commissarius, et Visitator sine alia institutione erit Pater Provincialis Turoniae.

II. Ut dictum Collegium semper floreat in studiis, majusque incrementum in dies suscipiat, ordinamus, quod in eo nunquam desint classes artium, logicae, videlicet, Philosophiae inclusa etiam metaphysica, theologiae, ac diversarum linguarum.

III. Et quia solum debet esse Collegium studiorum, & pro studentibus, ut dictum est, decernimus, ne in illo deinceps admittantur aliqui ad habitum, vel ad professionem, & si qui superiores contra istud decretum facere praesumpserint, incurrant in sententiam excommunicationis, & in privationem suorum officiorum, necnon in perpetuam inhabilitationem ad similia, & alia officia religionis.

IV. Cum autem per dictum Patrem, Antonium a Sancto Martino Commissarium nostrum Patribus Observantiae Rhedonensis cura, & administratio dicti Collegii concredita fuerit, & ex illa pro ejus reformatione multi Religiosi subministrati fuerint, decernimus, & statuimus, ut etiam imposterum, donec aliter provisum fuerit per Patrem Ordinis, Patres Provinciae Turonensis in dicta cura, & administratione perseverent, Domus regimen tam temporale, quam spirituale habeant, literarum studia dirigant, regularisque vitae disciplinam adstruant ad normam, & formam mox tradendam.

V. Exhibebit igitur dicta Provincia, semper Collegio Naubertino quindecim Patres Consiliarios viros doctos, probos, & prudentes non tamen actu studentes per Provinciale, & Definitorum Provinciae assignandos, qui in regimine, & administratione Domus Priori assistant, duos pro concionibus habendis, quatuor pro confessionibus audiendis, & aliquot Fratres laicos pro necessariis ministeriis, quem tamen numerum, & augere, & minuire poterit Pater Ordinarius pro sua prudentia.

VI. Et quia ad hunc finem cura, & administratio Collegii Patribus Provinciae Turoniae

Turoniae demandata est, quo per eos perfecta observantia dictae Provinciae in illud introducat, & introducta perpetuo conservetur; Mandamus, ut imposterum omnes Fratres pro tempore in Collegio commorantes, vivendi rationem, & formam ipsius Provinciae Turoniae jam longa experientia cum magno nostrae religionis splendore in multis Galliae Conventibus, & praesertim Lutetiae in Conventu Sanctissimi Sacramenti comprobata amplexentur sine ulla immutatione, additione, vel detractone.

VII. Cumque nunc in Collegio magis sit professorum numerus, quorum plurimi dictam observantiam renunt, & propterea inde sunt amovendi, in aliosque Provinciarum Galliae Conventus distribuendi, praecipimus Patribus Provincialibus, ad quos dicti Fratres missi fuerint, ut eos tamquam Provinciae alumnos cum voce, & loco in illa suscipiant, eisque sicut ceteris de vinctu, & vestitu imposterum, provideant sub poena rebellium; nec eos sub praetextu agendi negotia, vel ob aliam causam Lutetiam ad standum, & commorandum in dicto Collegio remittere, nec Superiores Collegii recipere praesument, sub eadem poena. Si qui vero perpaucae, & virtute maturi in Collegio relinquentur, cum reverentia tractentur, & cum charitate de bonis ipsius Collegii alantur, & vestiantur, sed ipsi etiam omnia bona, quae ad usum suum privatum habuerint, statim Superiori Collegii cum ceteris illius bonis incorporanda, & confundenda fideliter tradent sub proprietarii poena: & qui ob complexionis imbecillitatem severiori disciplinae idonei non fuerint, nigro, & consueto habitu induti solum tenebuntur vivere iuxta generalia Ordinis Statuta, & Ordinationes libri Visitationis, demptis nonnullis perfectae disciplinae regulari non adeo congruentibus: Vivent autem semper sic honeste, & humiliter, ut ad regimen Domus non aspirant, & Collegii negotiis nullo modo se ingerant. Quam vitae rationem si amplecti noluerint, volumus, ut & ipsi sine mora in designandos, vel designatos sibi Conventus discedant, ne factionibus, & murmurationibus pacem religiosam, & debitam observantiam inturbent.

VIII. Imposterum, electio officialium Collegii, Prioris scilicet, Subprioris, Monitoris, seu Directoris pietatis, Discretorum, Procuratoris, Sacristae, & Regentium spectabit solum ad supradictos quindecim Patres consiliarios de Provincia Turoniae, necnon ad unum studentem de qualibet ex septem Provinciis Galliae professione antiquiorem, & ad duos etiam inter Conventuales professione majores, quandiu aliqui ex eis supererint: nec quisquam aliorum praeter dictos viginti quatuor, aut cum nulli ex Conventualibus extiterint, viginti duos dictis electionibus se immiscebit sub poena rebellionis, & expulsionis a Conventu; & electio quidem Prioris fiet

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Præsidente Patre Provinciali Turoniae, ut Commissario Patris Generalis, si de alio Commissario per Generalem non fuerit provisum: electio autem aliorum officialium fiet Præsidente Patre Priore Collegii.

IX. Ex dictis quindecim Consiliariis semper eligendus est Subprior, Monitor, duo Clavarii, Procurator, Sacrista, duo Regentes in Theologia, & unus in artibus; Prior autem eligi poterit ex quacumque Provincia Galliae, quae sit reformata iuxta praedictas novas Constitutiones, licet electionis tempore in ipso Collegio non resideat. Similiter ex quacumque Provincia reformata eligi poterit Regens diversarum linguarum, secundum quod in ea aptior, & magis idoneus ad tale munus repertus fuerit: & qui fuerint electi ad dicta officia, in virtute sanctae obedientiae illa suscipiant: quae si recusaverint, poenam privationis, & inhabilitatis ad quaecumque alia officia incurrant.

X. Haec autem forma servanda est in electione Prioris Collegii. Ubi celebratum fuerit, ut moris est, Capitulum culpatum, & emissi, qui non habuerint locum, & vocem in electione; assumendi sunt tres Patres scrutatores de ipso gremio, quorum munus (praestito per illos prius juramento in manu Praesidentis de rite, & fideliter peragendo eorum officio) erit vota singulorum eligentium scripta, & complicata, excipere in capsula, vel pixide, deinde illa extrahere, evolvere, inspicere, & publicare; quibus publicatis, & facta eorum collatione, illum, in quem omnes, vel major pars totius Collegii consenserit, Pater Praesidens nomine omnium eligit in hunc modum: Ego N. auctoritate mihi commissa meo, & horum omnium eligentium nomine eligo, & denuncio in Priorem hujus Collegii Naubertini Patrem N. Quod si in prima electione in nullum major pars consenserit, electio reiterabitur usque tertio: & si contigerit, nec in tertia electione majorem partem in unum consensisse; qui plura habuerit vota, quam aliqui alii; eligendus erit a Praesidente nomine omnium modo quo supra; & statim coram gremio comburenda sunt omnes votorum schedulae, & advertendum, quod ante electionem praelegenda sunt Constitutiones de requisitis eligendi in Priorem, Vocalesque curare debent, quod eligant probiorem, & meliorem secundum dictamen suae conscientiae, ita enim statuit Clemens VIII. fel. rec. in Decretis pro reformatione Regularium editis.

XI. Quod si evenerit, ut Provincialis Turoniae ad praedicta officia electos ob justam causam a Collegio, vel ab officio amovendos esse judicet, id facere poterit etiam extra visitationem tamquam Commissarius Generalis (alio Commissario non instituto a Generali): excipiendus tamen est Prior, cujus amotio solum pertinebit ad Patrem Generalem; tunc viginti quatuor supradicti in eorum locum eligent de eadem Provincia alios, qui fuerint per

M

Pro-



Provincialem, & Definitorum Provincia assignati, si capaces extiterint, alioquin supplebuntur de Provincia Turonia, reservata tamen facultate Generali aliter providendi. Licet autem Prior Collegii nequeat amoveri ab officio nisi a Patre Generali, vel ab aliquo de ejus speciali commissione; nihilominus si quis presumpserit se indebite, & injuste ab illo aggravatum fuisse, poterit recurrere ad Provinciam Turonia, qui illi tamquam Commissarius Generalis iustitiam ministrabit.

XII. Prior sic electus confirmandus est utique ad triennium a Patre Generali, quippe quia locum, & vocem habet ad instar Provincialium in Capitulo Generali: poterit tamen interim, dum confirmationem Generalis expectabit, Provincialium more plena auctoritate suas functiones exercere: & si Prior electus fuerit in aliqua Provincia, statim sine ulla excusatione mittetur a Provinciali, nisi in Provinciam alicujus Provincia fuisset electus; tunc enim alius Prior erit eligendus a Collegio.

XIII. Facienda est electio Prioris tempore tam competenti, & opportuno, quod sui officii confirmationem recipere valeat a Generali ante celebrationem Capituli Provincialis Turonia, & propterea ejus electio non est differenda ultra mensem Octobris illius anni, qui celebrationem Capituli prefata Provincia precedet: & ne Ordo diste Provincia inturbetur, electio officiorum, quae jam facta est hoc anno 1636. finiet post Pascha, & tunc alia fiet de novo; at electio Prioris solum pro hac vice durabit per quinquennium usque ad annum 1641., & si venerit, quod Patre Generalis ob aliquam justam causam, Capitulum Provinciale Turonia distulerit ultra triennium, idem faciet si ei placebit de Priore Collegii, alii autem officarii eligentur per Capitulum Provinciale, ubi tamen ab ipso Capitulo assignati fuerint Consilarii, & Regentes in Collegio, uti fieri solet in aliis Conventibus.

XIV. Per haec statuta intentio nostra non est jus, quod habent omnes Provinciae Galliae mittendi studentes ad Collegium Naubertinum abrogare, & auferre. Nihilominus ne ob conservationem talis juris reformatio Collegii aliquo pacto unquam imminuatur, statuimus, ut deinceps nullus studendi causa in dictum Collegium mittatur, nisi a Provinciali, & Patribus Definitoribus Provincia, cujus fuerit alumnus, quique non compleverit novitiatum, & unum saltem annum in Conventu efficaciter reformato juxta novas Constitutiones a Sanctissimo approbatas, & quem reformatum esse declaraverit Pater Generalis pro tempore.

XV. Volumus etiam, ut ex illis Provinciae Reformatis, & talibus a Generali declaratis, unus eligatur ex tribus Lectoribus in Theologia, unus quoque in artibus, si qui inter eos fuerint capaces, duo item Clavarii (numquam tamen duo eadem Provincia ad ea officia simul eli-

gentur) & sic electus vices supplens antiquioris ex sua Provincia illam, ejusque jura in administratione Collegii repraesentabit: reliqui autem omnes officarii Collegii erunt de Provincia Turonia, Generali aliter non disponente, ut supra jam dictum est, & Provincialis diste Provincia Turonia, dum Commissarius Generalis fuerit, non permittat juxta suam Provinciam usum aliquos in Collegio, sive laicos, sive Patres Consilarios, aliosve praeter studentes commorari ultra tres, vel ad summum sex annos, exceptis Lectoribus in artibus, & in Theologia secundo, & tertio, qui per plures annos, si illustrioris fuerint in doctrina, poterunt in lectura continuare.

XVI. Et ne aliquid per ista nostra decreta sanctionibus, & usibus facultatis Parisiensis detrahatur, concedimus, ut ex omnibus Provinciae presentari possint studentes ad gradus, & Doctoratum, ut moris est, dummodo graduati nullo fruatur privilegio in Provincia, vel Conventibus reformatis, sed solum in ipsa Universitate: & ne exceptio personarum noceat, septem Provinciae Galliae, videlicet Narbonae, Franciae, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Vasconiae, & Turoniae juxta ordinem in statutis antiquis praescriptum, graduandos praesentabunt; nimirum in prima licentia per nominationem Provinciali, & Definitoribus Provinciae Generali factam, & per promotionem ipsius Patris Generalis, praesentabuntur Priori Parisiensis, & Doctori primario duo de Provincia Narbonae, & duo de Provincia Franciae, in secunda duo de Provincia Aquitaniae, & duo de Provincia Provinciae, in tertia duo de Provincia Tolosae, & duo de Provincia Vasconiae, in quarta duo de Provincia Turoniae, & duo de Provincia Narbonae, & sic per vices, & ordinem seu circulum, quod si aliqua Provincia ordine praescripto duos de suis minime praesentaverit, sequens supplebit, isque ordo in libro Conventus describetur.

XVII. Ut autem ambitiones honorum, immoderate cupiditates, excursions, & similia monastice vitae repugnantia profus evitentur, districte prohibemus, ne ulli studentium in Collegio Naubertino locum, & praecedentiam, seu sedis prerogativam in licentia ambiant, & capient pro se, alioquin eorum praesentatio nulla sit, & nullius valoris. In praesentatione graduandorum a Collegio facienda Universitati Sorbonae, ut omnis ambiendi occasio tollatur inter studentes, nationes, & Provincias, e nominatis, ut supra praesentatio fiet per electionem canonicam a Priore, et viginti quatuor Consiliariis, praemisso juramento de digniore eligendo juxta dictamen propriae conscientiae.

XVIII. Baccalarei, & Licentiatii regulas omnes, & leges inclita Facultatis in ea observabunt: sed alibi puta in Ecclesia, Capitulo, Processionibus, & similibus tam extra, quam intra Conventum, nullo proptus privilegio, praecedentia, voce, & loco, aut exemptione, eo praefixo titulo gaude-

bunt: cum ista privilegia ob eorum abusum omnium fere malorum radix haecenus extiterint: sed exceptis Consiliariis viginti quatuor, ut mox dicetur, omnes indiscriminatum locum praecedentiae habebunt secundum antiquitatem temporis, quo in Collegio recepti fuerint, ita ut prior locus sit is, cujus nomen prius in catalogo studentium fuerit matriculatum. Si duo simul advenerint, antiquior in ordine describetur: in nominibus quoque, & appellationibus omnes sequentur Constitutiones reformationis, nec vocabuntur amplius Magistri, mea licentia, mea Provincia, meus Conventus, & similia, & nullus theses imprimere, vel dedicare, aut Praesidentem eligere poterit, absque expressa licentia Prioris, & Patrum, qui illi erunt a consilio.

XIX. Igitur in Choro, in Refectorio, in Capitulo, in Processionibus, & in aliis denique omnibus sequens ordo invariabiliter servabitur, Prior, Subprior, Primarius Regens, Pater Monitor, & caeteri Patres de Consilio quisque secundum antiquitatem professionis in ordine; reliqui omnes, tam regulares, quam studentes ex quavis Provincia secundum admissionem, & receptionem in Collegio, servata sacrorum ordinum dignitate: debent enim Sacerdotio insigniti Diaconos praecedere, Diaconi Subdiaconos, & isti alios inferiores.

XX. Patres Turoniae aliter non disponente Patre Generali habebunt semper a sua Provincia in Collegio saltem duas partes et tribus, demptis laicis, qui solum debent esse de Provincia Turoniae, quamvis omnibus ex aequo inserviant: v. g. si Collegium poterit tenere, & alere centum, Religiosos esse poterunt e Provincia Turonensi sexaginta, videlicet quindecim Consilarii a Provinciali, & Definitoribus assignandi, ex quibus officarii eligantur circa quadraginta quinque studentes, quorum conditio pro regimine, & loci prerogativa non alia erit, quam reliquarum Provincialium: & circa triginta studentes ex aliis sex Provinciae, & sic deinceps servata proportione, & circiter decem Fratres laici: ex qualibet vero aliarum sex Provincialium poterunt mitti sex, aut septem studentes, sed pro illis supplendis e Provincia Franciae quindecim, aut viginti, donec post aliquod tempus pro Collegii capacitate de consilio Patrum Consiliorum mittendorum numerus augeatur.

XXI. Ut proprietatis vitium caeterorum origo, penitus eradicetur, omnes Missarum, Officiorum, Concionumque eleemosynae, ac caeterae fidelium oblationes cedent in bonum publicum Collegii, nec ex stationibus, & concionibus studentium, aliisque bonis, quidquam in bonum Provinciae Turonensis, aut alterius convertatur ab Officiariis sub poena furum, & proprietariorum: si quis tamen e quindecim Consiliariis, aut aliis non studentibus per Octavam Sanctissimi Sacramenti, per Adventum, & Quadragesimam concio-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

natus fuerit, eleemosynae ex illis provenientes cedent in bonum Provinciae juxta illius Constitutiones, & laudabilem praxim, nisi eam immutandam aliquando rationabiliter judicaverit Pater Generalis. Si qui actu studentes ex aliqua ex septem Provinciae per Octavam SS. Sacramenti, per Adventum, & Quadragesimam concionati fuerint, mercedem, & eleemosynas quas acceperint, in bonum Collegii offerent; eo anno nullam pensionem solvant. Quod si eleemosynae ex stationibus alicujus studentis pensionem Collegio solvendam excedent, reliquum servabitur ad thesauri impressionem, aliasque impensas Doctoratus, quae a Provinciae singulorum, qui ad gradus promovebuntur, vel ex singulorum conventibus solvendae essent. Si aliquando pensiones extinctae fuerint, omnium studentium conciones erunt pro hujusmodi Sorbonae impendiis, & bono Collegii. Si qui ex aliis Provinciae concionabuntur, posito quod non sint actu studentes, sed solum Consilarii Collegii, & Officarii, ut Licentiatii, aut tamquam hospites in Collegio commorentur, eleemosynae ex stationibus, & concionibus octavae, Adventus, & Quadragesimae provenientes cedent in bonum Provinciae, cujus fuerint alumni deductis impensis pro itinere, victu, & aliis, si a Collegio subministratae fuerint. Eleemosynae, quae a quolibet tam Officiario, quam studentium colliguntur ex concionibus Dominicarum, & Festorum per annum tam intra Urbem, quam ruri in parochiis, sicut aliae omnes quocumque titulo erogatae, cedent in bonum publicum totius Collegii.

XXII. Quia aequum est, ut a Collegio summa cura, & charitate omnibus aequaliter tam Officiariis, seu Administratoribus, Consiliariis, Confessoribus, & Concionatoribus Collegii, quam studentibus sanis, & aegrotis pro victu, & etiam fieri poterit, pro vestitu, calefactione, charitatis, calamis, libris &c. subministrantur; nullus imposterum in Collegio admittatur ad studia, pro quo Provincialis, & Prior, a quibus mittetur, non solvat per anticipationem mediam pensionem bis in anno, scilicet in festo Exaltationis Sanctae Crucis, & in festo Paschalis Dominicae Resurrectionis, pro Sacerdotibus quadraginta quinque libras cum singulis illorum missis, quas quotidie pro Collegio celebrare tenebuntur juxta Constitutiones Reformationis, pro non Sacerdotibus septuaginta quinque libras: tenebunturque singulae sex Provinciae cum ea pensione saltem quatuor studentes Lutetiam mittere studendi causa. Poterunt tamen Patres Consilarii, si quando Collegio Deus opes abundantius impertierit, dictam pensionem imminuere: immo optamus Collegium ad tale statum quamprimum pervenire, ut nulla solvatur pensio saltem pro victu, sed certo numero studentes ex singulis Provinciae gratis proportionaliter recipiantur v. g. decem ex unaquaque Provincia, & triginta quaedam aliter



aliter non disposuerit Generalis ex Turonensi, cui Collegii cura, & administratio commissa est. Interim si dictus Prior, & Provincialis non solverit pensionem per mensem, e Collegio remittantur studentes, nec quisquam deinceps mittatur, qui non sit de omnibus necessariis provifus, honesteque, & religiose in omnibus vestitus, & semel decem aureos ingrediendo solvat pro suppellectili, quam Collegium postea tenebitur refarcire, & conservare in cellulis a Priore, Subpriore, & Clavariis juxta Regulam cuilibet assignandis. Item non mittantur imposterum ex Provincia studentes, nisi in temporibus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, & Sancti Remigii, cum videlicet interruptus studiorum cursus ob conciones Adventus, & Quadragesimae, & ob vacationes a decima die Septembris usque ad finem, iterum aperietur.

XXIII. Quia vero Provincia Turonensis, ut Superioribus obsequeretur, obediretque, & Reformationem dicti Collegii juvaret, ingentes fecit expensas, & faciet imposterum, totumque onus administrationis, & praecipuas partes Regularitatis sustinet; volumus, ut ex illa Provincia solum pro decem studentibus taxata pensio solvatur, quandiu hujusmodi pensiones non extinguuntur, & quod reliqui omnes ut necessarii pro Reformatione in Collegio gratis admittantur, videlicet viginti quatuor Consilarii ex quacunque fuerint Provincia, Concionatores duo, atque Confessarii quatuor, nisi aliter circa praedicta Pat. Generalis Ordinis pro tempore faciendum judicaverit. Pro Hospitibus ex septem Provinciis, si ultra tres dies in Collegio remanserint, per singulos dies pro eorum victu, & suppellectili solvantur sexdecim asses, alioquin dimittantur, eisdemque de vestitu sumptibus Provincia providebitur; pecunias autem omnes, si quas apud se habuerint, in manu Procuratoris, & Clavariorum custodiendas deponant, omnesque Reformationis, & Collegii Constitutiones exacte observabunt, alioquin dimittentur.

XXIV. Provincialis Turonia in Collegio ordinarie non commorabitur, nisi durante visitatione, quam ultra quindecim dies non poterit protrahere, & si vocabitur, aut necessitas requiret jubente Generali, poterit nedum semel in anno, sed toties quoties Collegium visitare; quoties per modum Hospitii in Collegio erit, Prior & si omnes alios Provinciales in Collegio praecedat, illi tamen praecedentiam dabit. In sua visitatione annua nihil omnino praeter victum moderatum sumet a Collegio, siquidem omnia habere poterit a sua Provincia, & a Conventu Sanctissimi Sacramenti, in quo poterit, si voluerit reside- re, si tamen ipse aliunde vocabitur ad visitationes extraordinarias, viaticum solvetur a Collegio vocante, ut moris est.

XXV. Prioris Officium erit totam Collegii Domum regere, & administrare cum

plena auctoritate cum assistentia tamen, & consultatione PP. a consilio, de quibus supra. Officium Subprioris in absentia Prioris erit ejus vices gerere, in Choro autem, & regularitate etiam praesente Priore suum officium libere exercebit. Primarii Regentis in omnibus actibus studiorum, ut sunt lectiones, disputationes &c. post Priorem (si hic adesse voluerit) praesidere, disputationes moderari, theses approbare, & omnia alia agere, quae non nisi a Doctore fieri decreta sacrae facultatis imperant; nullam tamen licentiam studentibus eundi extra Conventum, vel redeundi, aut similem concedet. Monitoris officium erit omnes Fratres praesertim juniores dirigere, & invigilare, ut semper in eis pietatis studium, orationis, & scientiae milticae amor vigeat, ideoque visitabit omnes, exhortationes habebit, culpas audiet, nisi eas audierit Prior, vel Subprior, aliaque omnia aget juxta Regulas Monitoris a Constitutionibus traditas.

XXVI. Quicumque singulo anno examinatus a P. Provinciali Turonia, ut Commissarius Generalis a Priore, Regentibus, & tribus, aut quatuor Consiliariis per duos annos studens non perfecit, sine mora in suam Provinciam remittetur; Item qui post duos annos philosophiae, & quatuor theologiae completos promotionem a Generali non obtinuerit, qua etiam obtenta statim ac Baccalaureus receptus fuerit, remittetur ad suam Provinciam, donec tempus ingrediendi licentiam advenerit, ne longiori mora Collegium oneretur, & ut interea locus detur aliis studentibus, & ut etiam ipsi Baccalaurei tempus licentiae expectantes suis Provinciis valeant infer- vire. Item quicumque duos annos licentiae expleverit, nisi inter duos menses in- augurandus sit, redditurus tamen cum laurea doctoratus donandus erit, qua insignitus recedet statim in suam Provin- ciam, nisi ad aliquod Collegii officium, eligatur modo, quo supra Prior, & Pri- marius Regens ultra triennium, Subprior, & ceteri Officia, Consilarii, Concio- natores, Confessores, & laici ultra sex- ennium nunquam protrahentur, diligen- terque advertant illi, quibus Collegii cura commissa fuerit ultra regularitatis, & pie- tatis domestica exercitia, vix alia, quam doctrinae studia, veluti in Collegio vi- gere debere: ideoque demptis quatuor Confessariis ordinariis, cum aliis Officia- riis, qui diebus festis confessiones intra Ecclesiam Monasterii audire poterunt, & uno, aut altero Concionatore, rarissime, & nunquam, nisi ex extrema necessitate, mittentur ad agros invifendos ad visita- tiones faciendas, & similia, quae a non- studentibus tantum debent exerceri.

XXVII. Prior Collegii de consilio Sub- prioris, Doctoris primarii, quatuor Cla- variorum, & Lectoris, de cujus classe unusquisque erit, studentes discipulos, & irregulares cujuscumque Provinciae ter- monitos, nisi respiciant, & Constitutio- nes

nes observent, statim sine mora, a Colle- gio expellat, & si quis se opposuerit, etiam ipse expellatur. Dimissus ob culpam, quae gravio rem poenam mereatur, nunquam re- cipietur in Collegio sub poena depositionis ab officio mittenti, & recipienti. Si quis a disciplina regulari ad fora secularia quo- cumque titulo, vel colore appellaverit, hoc ipso excommunicatus erit, ut habe- tur in Statutis, & in Sacris Canonibus.

XXVIII. Nemo ad sacros ordines, & ad Confessarii, aut Concionatoris munus destinabitur, nisi examinatus, & approba- tus a Priore, Subpriore, Monitore, & duo- bus Professoribus Theologiae, cum licen- tia P. Prioris in scriptis quoad confessio- nes, & conciones, & quoad ordines cum licentia Provincialis, de cujus Provincia erunt ordinandi.

XXIX. Ordo regularitatis intra Collegi- is observetur, qui in Constitutionibus, & in praxi Provinciae Turonensis praescribitur. Si qua difficultates circa illum orien- tur, suffragiis Prioris, Subprioris, Do- ctoris, Monitoris, quatuor Discretorum, seu Clavariorum, duorum Lectorum in Theologia, & duorum in Philosophia de- cidentur.

XXX. Si hujusmodi difficultates circa regularitatem, studia, pensiones, officia, celebrationem missarum, & similia ma- joris momenti emerferint, decidentur a Patre Priore, & a toto consilio viginti quatuor, etiam si opus fuerit, per suffra- gia secreta, & haec omnia in libro Capituli fideliter describentur.

XXXI. Quia vero pleraque scandala, ex secularium vicinitate, & commixtione cum illis in Choro oriuntur, diligentia Commissarii, & Prioris, Chorus separa- tus statim fabricetur, vel sedilia praesen- tis Chori sic claudantur, ut nec contactus, nec prospectus inter fratres, & seculares esse queat.

XXXII. Nullus deinceps ad studia, aut officia in Collegio admittatur, quin juret, atque in libro receptionis subscribat, se- omnes tam Constitutiones supra nomina- tas, quam has leges, istave Decreta ob- servaturum, idque etiam scripto testabun- tur Provinciales in Literis, in quibus Re- gulares suos Lutetiam mittent, alioquin in Collegio non recipiantur: Alia multa, quae necessaria, vel opportuna esse possunt pro bono regimine Collegii, praescripta sunt in novis Constitutionibus Reformatio- nis, quae nedum in dicto Collegio, sed etiam in omnibus aliis Conventibus re- formatis, & reformandis vigere debent.

Fr. Theodorus Stratus Generalis Carmel. Antiquae Obs. Reg.

§.2. Cum autem, sicut eadem expo- sitio subjungebat, dictus Theodorus Prior Generalis plurimum cupiat, praesertim Constitutiones hujusmodi pro firmiori earum subsistentia, & inviolabili observan- tia apostolice nostrae confirmationis ro- bore communiri; Nobis propterea humil- iter supplicari fecit, ut ejus votis hujus-

Item Prior ad Constitut. apostolica auctoritate confirmari peti.

modi annuere, ac desuper opportune pro- videre de benignitate apostolica digna- remur.

§.3. Nos igitur Domus regularis, & Collegii praefatorum prosperam, felicem- que directionem sinceris desiderantes affe- ctibus, dictumque Theodorum Priorem Generalem specialibus favoribus, & gra- tiis prosequi volentes, & a quibusvis ex- communicationis, suspensionis, & inter- dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen- suris, & poenis a jure, vel ab homine qua- vis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effe- ctum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones praesertim hu- jusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus, & confir- mamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.4. Decernentes, easdem Constitutio- nes ab omnibus, & singulis Domus regu- laris, & Collegii praefatorum Fratribus, & personis sub poenis in eis contentis invio- labiliter observari, easque, ac praesentes Literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suos- que plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis aucto- ritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub An- nulo Piscatoris die 25. Januar. 1637. Ponti- ficatus nostri Anno XIV.

Confirmat Urbanus.

Clanfulat ne- cessarius ap- ponit.

Contraria tollit.

Dat. die 25. Jan. 1637. An. XIV.

Ex Regest. in Secret. Brevo.

Exordium.

D X X X I.

Erectio duodecim Alumnatuum in Colle- gio Urbano de Propaganda Fide pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Jaco- bitis, Melchitis, & Cophtis.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Altitudo divinae providentiae, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis suggerit, quae ad christianae religionis, & pietatis propaga- tionem maxime profutura esse dignoscun- tur: Unde Nos universi gregis dominici grave pondus nostris humeris impositum, sustinentes, de animarum pretioso Salva- toris nostri Jesu Christi, qui post glorio- sam ejus resurrectionem ad sempiterna regni caelestis tabernacula ascensus, Dis-



Discipulos suos per universum mundum evangelium omni creature predicare iussit, cuiusque vices in terris gerimus, sanguine redemptarum assidua meditatione solliciti ad ea, per quae fidei orthodoxae jam dudum per universas mundi regiones diffeminatae, ac antiqui serpentis calliditate in diversis mundi partibus diversimode violatae, & conculcatae splendori salubri remedio restituendo, & propagando consulantur, sincerique eiusdem religionis ministri ad sollicitudinis nostrae partem animarum videlicet curam sustinendum, & vera fidei documenta praedicandum instruantur, libenter intendimus; ac iis, quae per Christianos quoslibet praesertim S.R.E. Cardinales, pro eximia eorum devotione, & provido, sinceroque mentis affectu, pro divini cultus incremento liberaliter determinata fuerunt, apostolici favoris ultro impertimur suffragium.

Anton. Card. Barberinus 12 Alumnus in Collegio Urbano erigere, ac dotare cupit.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, dilectus filius noster Frater Antonius Barberinus tituli S. Honuphrii Presbyter Cardinalis eiusdem Sancti Honuphrii nuncupatus noster secundum carnem Frater germanus major Penitentiarum, & Bibliothecae Apostolicae Praefectus, ac unus ex eiusdem S. R. E. Cardinalibus super negotiis de fide catholica propaganda deputatus cupiens pro suis viribus Sanctissimum, & R. E. utilissimum opus dictae Congregationis manentem, illudque in dies ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & animarum salutem augere, ex bonis sibi ab eodem omnipotente Deo collatis unum Collegium, seu Alumnatum duodecim pro nunc Alumnorum ex infra scriptis Nationibus nominandorum, qui sub jurisdictione eiusdem Congregationis, ac sub regimine, & disciplina pro tempore existentis Rectoris, & iuxta Constitutiones Collegii de Propaganda Fide vivere, & educari debeant, cum dote, quae nunquam alienari, & cuius fructus in alium praeterquam victus, & vestitus dictorum duodecim Alumnorum usum converti non debeant, aut possint, assignatione, & cum iurispatronatus ad favorem domus nostrae Barberinae reservatione infra scripta fundare, & dotare decrevit. Nos tam pium opus, quantum in Nobis est, confovere, & ad optatum finem perducere sinceris desiderantibus affectibus, ad illud totis viribus promovendum animum, & mentem nostram convertimus.

Pont. erigit Nationes, ex quibus delinquenti sunt Alumnus, eorum qualitates, aliaque his similia praescribit.

§.2. Quocirca motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, unum Collegium, seu Alumnatum pro duodecim pro nunc Alumnis bona complexionis, ac mente, & corpore sanis, sine ullo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec majoribus viginti, seu viginti unius annorum, in latina, vel italica lingua aliquando introductis, ex infra scriptis Asiae, & Africae nationibus tantum eligendis, & nominandis videlicet Geor-

gianorum, & Perfarum; ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, necnon Coptitarum, duos videlicet pro qualibet Natione; quem tamen numerum idem Fr. Antonius Card. ad decem, & octo tres scilicet pro qualibet eorumdem nationum, vita comite, & divina bonitate illius conatus prosperante quandocumque arbitrio suo augere valeat, ita tamen, ut si aliquando contigerit aliqua vice non posse ex aliqua, vel aliquibus ex nationibus superius designatis infra annum, vel ad summum biennium haberi Alumnos, assumentur ex aliis nominatis, aut etiam Armenorum nationibus: quo casu fructus locorum vacantium anni, vel biennii huiusmodi ad ferendas Alumnorum necessitates referentur, vel iis cessantibus, pro augendo Alumnorum numero investiantur; ipsique Alumni sub Rectoris disciplina, & regimine, necnon sub Regulis, & Constitutionibus dicti Collegii de Propaganda Fide vivere debeant eo modo, quo vivunt ceteri Alumni, qui de praesenti in ipso Collegio de Propaganda fide educantur, inter quos, & Alumnos Collegii, & Alumnatus sic noviter erecti nullam profus volumus adesse differentiam, nisi circa novorum Alumnorum in Collegio admissionem, ad nominationem pro tempore existentis patroni, ut infra disponetur, faciendam, teneantur etiam noviter erecti Collegii, seu Alumnatus huiusmodi Alumni aliud iuramentum a Congregat. de Propaganda Fide Pontificis Collegii praescriptum praestare, excepta prohibitione, ut fiant sine speciali licentia regulares, quia noviter erecti Collegii, seu Alumnatus Alumnos Religionem Sancti Antonii, seu Sancti Basilii ingredi, & in eorum qualibet professionem regularem emittere volumus, apostolica auctoritate, tenore praesentium erigimus, & institumus.

Dote pro huius Alumnatus a Card. Barberino parandam assignat.

§.3. Eique sic erecto, & instituto proprio Alumnorum sustentatione, & aliorum onerum supportatione redditus annuos per eundem Fratrem Antonium Cardinalem assignatos tot videlicet loca montium non vacabilium de Urbe, ex quibus quolibet anno ad minus octingenta quinquaginta scuta percipiuntur, & assignandos perpetuo concedimus, & assignamus.

Ius nominandi Alumnos Familiae Barberinae reservat.

§.4. Jus vero nominandi Alumnos praedictos iuxta modum, & formam supra scriptam, & cum conditionibus infra scriptis eidem Fratri Antonio Cardinali, donec vixerit, reservamus; sequuto vero obitu eiusdem Fratris Antonii Cardinalis dilectis filiis nostris Francisco Sancti Laurentii in Damaso Barberino nuncupato S.R.E. Vice-Cancellario, & Antonio Sanctae Agathae Diaconis Antonio respective nuncupatis eiusdem S. R. E. Cardinalibus nostris secundum carnem ex fratre germano nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant; ipsis vero deficientibus Cardinalem, si tunc, vel quandocumque aderit, de familia nostra Barberina ex linea dilecti filii Nobilis viri Thadei Barberini nostri

nostrum etiam secundum carnem ex Fratre nepotis Urbis Praefecti, & Principis Praefecti, descendente, & in defectu Cardinalis, Praelatum, & non existente tunc Praelato, personam ecclesiasticam de eadem familia, & descendencia in iure, & facultate nominandi Alumnos huiusmodi succedere etiam volumus, statuimus, & ordinamus: & si forte evenerit, quod eodem tempore extarent plures Cardinales de eiusdem Thadei Praefecti, & Principis familia, & descendencia in iure, & facultate nominandi huiusmodi aequaliter succedere, & nominationem ipsam per turnum, & alternatim fieri debere, decernentes, inter plures vero Praelatos, & personas ecclesiasticas ille solus succedat, & jus habeat nominandi, qui majorem obtineat Praelaturam, & inter aequales aetate major fuerit. Quoties vero defecerint Cardinales, Praelati, & respective personae ecclesiasticae de linea dicti Thadei Praefecti, & Principis, tunc facultatem, & jus nominandi huiusmodi per ipsum Thadeum Praefectum, & Principem, eoque non existente, vel quandocumque deficiente per vocatos, & comprehensos in iure succedendi per Nos ordinato in perpetuum assumi, & reassumi, idque toties, quoties casus deficiant Cardinalis, Praelati, & personae ecclesiasticae, ac eiusdem Thadei Praefecti, & Principis descendencia evenerit, fieri debere similiter decernimus, ac huiusmodi nominationem non posse fieri, nisi de Alumnis ex nationibus supra expressis, itaut ex qualibet superius expressarum nationum adfuit in Alumnatu saltem duo, qui habeant supra dicta requisita, & aliter factam nominationem nullam esse, nullumque jus nominato tribuere declaramus.

Nominatio Alumnorum a S. Congreg. de Propag. Fide confirmari jubet.

§.5. Et insuper nominationes Alumnorum per patronos praedictos pro tempore nominatorum confirmationem per S.R.E. Cardinales Congregat. de Propaganda Fide pro tempore deputatos, qui antequam ad huiusmodi confirmationem deveniant, quod in nominatis qualitates superius requisita concurrant, certi esse debeant, & ante confirmationem praedictam nominatos nullo modo in Alumnatum recipi, aut admitti mandamus.

Huiusmodi Alumnus eorum privilegia concedit.

§.6. Demum eisdem, aliisque dicti Alumnatus personis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis quibus omnes, & singuli dictae Congregationis de Propaganda Fide Alumni, & aliae personae quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam pariformiter, & aequae principaliter uti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, illaque eisdem communicamus.

Clausula.

§.7. Decernentes, praemissa omnia, & singula, ac praesentes literas nullo unquam

tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse: sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Camerae Apostolicae Praesidentes Clericos, & eiusdem S. R. E. Camerarios, & alios Cardinales, ac Vice-Camerarios, nec non causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exgumtori deputatio.

§.8. Quocirca dilectis filiis, & pro tempore existentibus Urbis Gubernatori, & causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori, & nostro in eadem Urbe, eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & pro parte nunc, & pro tempore interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eiusque efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem praesentes, & in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, ac nunc, & pro tempore interesse habentes illos pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras, & poenas ipsas, servata forma Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§.9. Non obstantibus nostra de gratis ad instar non concedendis, necnon quibusvis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis praedictae Congregationis, & quibusvis Universitatibus, Collegiis, eorumque Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & aliis personis etiam sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac aliis quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & indivi-